



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Pauli Laymanni e Societate Iesu Jus Canonicum
Commentario Perpetuo Explicatum**

Et Uberi Non Minus Ac Varia Qvam Clara Et Solida Doctrina Illustratum

Commentarius In Librum III. Decretalium

Laymann, Paul

Dilingae, 1698

Capitulum III. Relatum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62482](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62482)

citur, quod omnes hujusmodi passionibus adesse esse videntur, & plena tristissimi, & periculosi eventus. Quare enim, quodam vivente, & ignorante, de rebus ejus quidam pacificentes conveniunt? Adde ex *L. 2. §. ult. ff. de his, qui ut indignis &c. si quisquam cognati viventis bona, aut partem bonorum in eventum mortis ejus donaverit, hæreditate tanquam indignam privandum esse.*

Limitari debet, prout in *cit. L. ult.* habetur, si is, de cujus hæreditate agitur, consenserit, & in eadem voluntate usque ad mortem permanserit, tunc valet saltem per modum donationis, mortis causa factæ. Quin etiam inter vivos donationem quis facere potest rei præstandæ in morte, seu post mortem suam, ita, ut executio donationis ab hærede fieri debeat. *L. unica. c. ut actiones, & ab hæredibus &c. & L. scrupulosam 11. de contrahenda stipulatione §. post mortem, & §. seqq. Instituti, de inutilibus stipulationibus & L. hæreditarium. 9. ff. de rebus auctoritate judicis possidendis.* ubi dicitur, quod stipulatio post mortem promissoris concepta facit esse debitum hæreditarium, quia ab hærede peti potest, licet à defuncto non potuerit, quia dies non cesserat.

3. Notandum tertium. Beneficia vacantia intra 6. menses conferri debent, alioquin devolutio fit ab Episcopo ad Capitulum, & vice versâ, ab his ad Metropolitanum, postea ad Pontificem, & ideo devolutio interposito 6. mensium spatio gradatim fit, sicuti explicavi *lib. 4. tra. 2. c. 11. n. 5.* Devolvitur autem facultas pro ea tantum vice conferendi ipso jure post tempus elapsum, ita, ut mora purgari non possit, nisi statim conferat collator. Prout dicitur in *s. qui s. hoc tit.* Et quod in hoc casu mora purgari non possit, dixi in *c. 3. de supplenda negligentia Prælatorum.*

Porro hæc constitutio locum non habet in Prælatibus Ecclesiarum Cathedralium, & Regularium, in his enim vacatio ultra tres menses durare non debet, alioquin,

qui eligere debuerunt, pro ea vice privati existunt, & electio ad proximum superiorem devolvitur. Uti habetur in *c. ne pro defectu 41. de electione*, ubi id explicatur in *disp. de Prælatibus, c. 9.*

CAPITULUM III.

Relatum.

PARAPHRASIS.

Clerici quidam acceperunt promissiones, seu gratias expectativas ad beneficia proximè vacatura, & posteaquam ea vacarunt, ad Sedem Apostolicam extrajudicialiter appellarunt, ne alijs conferrentur. Ad hoc respondet Alexander III. cum in Concilio Lateranensi ejusmodi promissiones sublatæ fuerint, appellationem istam attendendam non esse, quod minus beneficia personis idoneis conferantur.

Notandum. Adversus collationem beneficij, aut prælaturæ, ne ea fiat, appellare non potest is, cujus non interest, seu qui jus in beneficio non habet; cum enim in casu hujus capituli promissio beneficij secundum Canones irrita fuerit, debet nullum ex ea jus constitutum esse, consentiens *L. 1. ff. de appellationibus recipiendis.*

CAPITULUM IV.

Proposuit.

PARAPHRASIS.

Cælestinus III. Papa mandaverat Præposito, & Capitulo Cameracensi, ut Iterum Presbyterum reciperent in Canoniam, & præbendam proximè vacantem, quæ ad ipsorum collationem pertineret, eidem assignarent, constituto executore Decano. Verùm cum Capitulum in recipiendo Tito contumax esset, Decanus eundem de præbendâ proximè vacaturâ auctoritate Apostolicâ investivit. Post mortem Decani vacavit præbenda, quam Capitulum alteri contulit.